





20

ORDINIS IVRIDICI

IN

1793. 5.

ACADEMIA WITTENBERGENSI

H. T.

DECANVS

D. GOTTLLOBVS CHRISTIANVS

K L V G E L

FAC. IVR. WITTENB. ASSESSOR ET IN SENATV CIVITATIS  
WITTENBERGENSIS SYNDICVS

L. B. S.

---

inest

de ordine litis in causa amissarum cautionum publicarum  
in Saxonia datarum earumque anonymarum

traditio II.

ORDINIS MARIANICI  
ACADEMIA MARIETTENSIS  
DECANAT  
DOTTORAE CHRISTIANAE  
KLAUS

3. III. 1.

AL. VITRUM

**C**ontinuatuero mihi materiam nuper ad pertractandum coe-  
ptam primo agendum est de ea causa, cum is, qui amisit  
cautionem publicam, eam adhuc posse existere, non ne-  
get. Id autem vario fieri potest modo, ita, ut necessario cre-  
dam distinguendum esse, partim, an sciat passus damnum, vbi  
sit cautio, vel esse saltim debeat, nec ne sciat, partim, quo mo-  
do ad alium ea peruerterit. Scilicet potest, de quo ante omnia  
dicendum est, cum ea res ab amissione prorsus sit separanda,  
*ex ipsius damnum passi conventione in alium translata esse cau-*  
*tio, quamvis titulus ad transferendum dominium habilis defi-*  
*ciat, veluti, si instrumentum dominus apud amicum deposue-*  
*rit, hic autem, immemor amicitiae, id vendat, vel si chiro-*  
*graphum pignori datum ab accipiente alienatum sit, vel si quis*  
*dederit cuidam documentum publicum, vt id cum aliis, e. g.*  
*maioris summae cum his, quae minorem quantitatem continent,*  
*permutet, aut, vt nomine domini pecuniam ex aerario percipiendam sibi solui curet, nec hic tamen, cui datum est, pro-*  
*missis stet, sed negotium suo arbitrio tractet, et quae sunt eius-*  
*modi alia. Quae cum facta sint, iuris analogia coniuncta cum*  
*promissionibus publicis a. 1763 factis, de quibus supra pag. 15.*  
*exposui, et quibus etiam *f. 8. Declar. stat. d. 10. Oft. d. a.* adden-*  
*da est, id efficit, vt dominus nullo alio medio vti possit, quam*  
*vt contra eum agat, cum quo contraxit, siquidem, cum vindica-*  
*tioni publicarum cautionum locus detur nullus, *Mand. d. 26.**  
*Ian. 1775, sola supereft actio personalis, qua is, qui fraudem*  
*admisit, conueniens est. Nam etiam contra eum, qui frau-*  
*dis est particeps, vt, qui sciens cautionem loco pignoris tantum*



datam emit, actio laudato Mandato Electorali conceditur. Unde, cum non raro talia querentes Collegium XIV virorum ad delenda aerarii debita constitutorum, quod solet Steuer-Credit-Cassen-Deputation nominari, consuluerint, ne numerum quidem inscriptum cautioni, quae amissa perhibebatur, cum in finem, ut, qui pecuniam sibi solui faceret, roganti notus fiat, annotari fuerunt, sed, agendum esse contra accipientem respondentes, chirographum producenti solui iussuerunt. Nonnunquam rogantes hoc expressis verbis tulerunt responsum, quod cum ipsa re satis conuenit, edictali etiam citationi in ea causa locum dari non posse. Verumtanien aliquando, praecipue postquam laud. Mand. d. a. 1775. promulgatum esset, in similibus causis adnotatio numeri cautioni deperditae inscripti permissa fuit. Etenim fere ea sola via est, qua inuestigari doi possit particeps. Neque alia fuit causa, cur in laudato Mand. Elect. promissum sit, his, qui dolo alterius cautiones publicas perdituri sunt, producentium nomina nota iri factum. His addo ob rei similitudinem, quamvis ad rem meam non faciat, ne tamen aliquid non vidiisse videar, eadem secundum Mand. laud. obseruari in cautionibus fiscalibus Saxoniciis sive permutatis, sive non permutatis ex annua pecuniae quantitate delendis debitis fiscalibus ante annum 1764. contractis destinata, cuius ordinatio fere eadem est, atque eius, ex quo stenralia debita soluantur, (Cammer-Credit-Cassen-Scheine) cum, quae sortis, tum, quae usurarum causa dantur.

Quod de negata annotatione numerorum enarraui, multo magis valet de ea causa, quando ne quidem quaestio de titulo possessionis mutato aut iniusto interuenire potest. Accidit, ut cohaeres unus, cum alter possidens chirographum publicum sibi solus seruasset usurpas, petierit a XIV viris, ne in posterum huic possessori usuruae soluantur. Non immerito is non solum,  
quod

quod attinet ad hanc rogationem, tulit repulsam, sed etiam nulla numeri indicati, vel nominis exhibentis cautiones usurarias facta est in libros inscriptio. Neque alia sententia ferri potest, si venditor, cum pretium chirographi venditi ab emtore nulla nanciscatur interpellatione, similes detulerit ad XIV vitos preces: et si quae sint eiusmodi causae aliae.

Haec igitur, si ex ipsis domini voluntate publicum chirographum ad alium peruererit, vbi non tam de perditō chirographo, quam potius de amissō eius pretio quaestio intercedit. Alter res se quodammodo habet, si praeter eius voluntatem aliis occupauerit cautionem, nec ulla, perfecta siltim et valida, conuentio possessori nouo, seu detentori potius, causam dedit. Potest igitur cautio, cum furto ablata, tum vi abrepta, tum aliis fraudibus e manibus domini esse subducta. Pertinet hoc singularis stellionatus species, cuius criminis aliquoties Iudaei se fecerunt reos. Saccularios hos fraudatores appellaueris, quando Vlpianus quidem hos in l. 7. D. de extraord. crimin. describit: *qui vetitas in sacco artes exercentes partem subiacunt, partem subtraheunt.* Nam illi emtionem cautionis offerentes, vbi consensu de pretio inter eos et dominum interuenerat, se includere in chartam, quam simul afferebant, cautionem, eam obsignare chartam, obsignumque fasciculum domino relinquere velle dicebant, vsque dum pretium, quod secum non habebant, afferre ex diuersorio possint: quam obsignationem, vbi dominus, ratus maiorem de pretio adipiscendo non dari securitatem, permiserat, clam subducendo cautionem et aliam chartam, eamque puram, supponendo, fasciculum obsignum domino reddentes abibant, dominus autem redditum diu frustra expectans, resignato fasciculo, fraudem demum detegebat. In tali causa, siue per rapinam aliasue vim, siue per furtum vel aliam fraudem dominus amitterit chirographum, quamuis nulla



sit distinctio quoad vindicationem, scilicet, quae, si regulam sequimur, in his negotiis quoque admitti non debet, tamen iterum ad id erit respiciendum, vtrum noscat hunc hominem, cuius delicto detrimentum passus est, an non. Si ipsi vi dolore auferens cognitus sit, contra hunc agendum est condicione futuia, *Mand. d. a. 1775. saep. laud.* neque id amplius ad meam pertinet causam, nisi, vt hoc addam, idem obtinere, si per crimen de residuis ab administrante negotia publica cautio publica alienata sit. *Mand. laud. verbis: oder anderer Veruntrauung.* Attamen quoad eam causam, duo adhuc sunt, quae vt considerentur, mereri, et proprius ad rem meam spectare videntur. Nimurum primo, an non possit damnum passus curare, vt, quae ipsi acciderint, in ephemeridibus publicis (*Zeitungen, Intelligenz-Blätter*) describantur, quod ea mente commode fiēt, vt unusquisque ab emtione subductorum et raptorum chirographorum arceatur; deinde, an, si denunciet damnum is, qui id passus est, XIV virorum collegio, aliquis exinde sperandus sit effectus. Et quod ad primum quidem attinet, non sine commodo aliquo sperando eiusmodi fieri publicam significationem, manifestum est. Nam, quicunque leget ephemerides, abstinebit ab emtione rei dolo ablatae, quae luculenter dignosci ab aliis potest. Ita vero difficilius fit, vt translata cautio a fure ad alios diu a quopiam bona possideri possit fide. Verum, quisquis hoc meditatur suum recuperandi medium, ei, vt prius rem omnem XVI viris exponat, auctor sum. Nimurum, cum ea via nonnunquam abusi fuerint laesi, ex quo incommoda ad alios non parua peruenire poterant, editoribus ephemeridum per rescripta Electoralia d. 15 Oct. 1774. et 26 Ianuar. 1775. non licet admonitionibus (*Auertissemens*) publicis inferere quasdam huius generis, nisi antea eas cum XIV viris, quod ante hoc tempus quoque nonnunquam fecerunt, communicauerint, id quod nunc adeo obseruatur, vt, etiam magistratus postulent

lent significari publice, tamen, inconsultis XIV viris, id fieri  
 non soleat, qui scilicet adhortationem vel totam probant, vel,  
 quod nonnunquam factum est, emendant pro modo negotii,  
 vel, vbi inueniant difficultatem aliquam, inseri eam in epheme-  
 rides vetant, quae omnia, vt res ipsa docet, et pure et sub con-  
 ditione fieri possunt. Multo minus ab ipsis XIV viris, vti ali-  
 quando factum est, vt tale monitum inseri ephemeridibus cu-  
 rent, potest peti, quippe quod, dum liceat, curae eius, qui  
 damnum passus est, relinquitur. Ex his igitur, quae proposui,  
 iam satis patet, denunciationem apud XIV viros faciendam non  
 esse sine utilitate. Sed ea facit etiam ad alia eaque maiora.  
 Scilicet non hoc solum habet commodi, vt, si in libros inscri-  
 pti sint numerus et litera, vel, si cautio non sit permutata, alia  
 simul sigaa, quae cautionem perditam ab aliis distinguunt, et de-  
 inde nomen eius, qui eam so lutionis causa offert et reddit, anno-  
 tetur, quod, vti olim nonnunquam factum est, ita nunc sit ex pra-  
 cepto *Mand. d. a. 1775. supra exc. facilius, si ponas eum, qui ad-*  
 misit crimen, notum quidem, actionem autem aduersus eum  
 inanem esse, is, qui, sciens dolum, cautionem in se trans ferri  
 passus est, detegatur: sed efficit hoc etiam, vt annotando no-  
 men postulantis laesi interrumptur praescriptio, cui, si de sortis  
 solutione agatur, spatium XXI. annorum, VI hebdom. et  
 III. dier. ab eo tempore, quo dies solutionis venerat, et, si de  
 vsurarum quaeratur solutione, III. annorum, quorum idem est  
 initium, datum est. *Mand. d. 12. Nov. 1763.* Itaque, cum, si  
 intra haec tempora siue fors siue ysurae a nemine postulentur,  
 ob praescriptionem, extincto deinceps postulandi iure, lucro  
 aerarii cedat pecunia, *dicit. Mand.* per illam denunciationem id  
 impediri poterit, quin ipsis XIV viri, praescriptionem damnum  
 passo amplius non currere, decernere solent. Evidem, quod  
 ad sortem, nulla huc vsque praescriptioni potuit esse obnoxia,  
 Propterea, quod omnia debita, quae in libris aerarii publicis

con-



continébantur, ao. MDCCLXIII. fuerunt agnita, eorumque, quae chirographis non permutatis probantur, dies ne cedere quidem prius, quam deletis omnibus, quae in chirographis insunt permutatis, ex promissione debet publica, *Auertiss. der Ch. S. Ob. Steuer - Einn. Ost. Markt 1763. §. 9. Declarat. der Stände 10. Okt. 1763. §. 5.* vt proinde eorum solutio in seculum futurum sit reiecta, ex permutatis autem chirographis probanda, quorum dies solutionis nunc quidem quam diutissime praeterit, tamen, cum in nundinis Lipsiensibus anno 1764. post Michaelis Festum habitis dies eorum soluendorum venerit, non, nisi circa initium mensis Decembris anni 1795 praescriptione possunt tolli, si excipias pauca ex his chirographis, quibus litera E. inscripta fuit, (*conf. pag. 6.*) vtpote, quae iam d. 14 Maii 1764. solutionis causa reddi poterant, et propterea sub finem mensis Iunii 1795. vim suam amittent. Verum enim vero, si quaeramus de vsuris, quarum causa terminus praescriptionis multo est brevior, crebra iamiam inde ab anno 1767. extitit, eas addendi aerario, occasio. Quamobrem fieri potest, vt hoc, qui vi vel clam abstulit publicam cautionem, in fugam se conserente, eoque, vt actio contra eum institui possit, si nusquam reperiatur, impendiente, res ad eam causam deducatur, quando auferens chirographum est incognitus, et nemo sit, cui, prout fieri debet, sexto quolibet mense vsurae possint solui, de quo deinceps dicendum erit. Quod si eueneriat, interruptio praescriptionis vero domino admodum potest esse proficia, si moras in iure suo persequendo nullas inferat.

Nunc igitur agendum est de eo, quod frequentius est omnino, vt, cui furto, rapina, aliaque fraude cautio publica erupta est, nesciat, quis is sit, per quem est sua re fraudatus. Ac primo quidem, quae de inserenda rei historia in ephemerides et de denunciatione XIV viris facienda superius explicauit, hic quoque repe-

repetenda sunt. Jam, cum ad damnum passi petita XIV viri de-  
 scriptionem cautionis perditae in libros suos, futurae notitiae  
 causa, notari iussent, aut aliquis comparebit, qui vel usurpas,  
 vel, si fortuna fortis diem venire faciat, hanc postulet, vel ne-  
 mo huius rei gratia est comparitus. Si adsit, qui sibi solui  
 usurpas vel fortē petat, ipsius nomine ab eo, qui rationibus  
 ducendis praecedit, (Buchhalter) annotato, id damnum passo, si  
 de eo certiore se facere roget, indicatur. Nunc igitur, ut per  
 hunc, qui exhibuit chirographum, detegat furem aliumque, cu-  
 ius frande detrimentum fecit, operam det, aut, si suspicio sit,  
 ipsum exhibentem criminis esse concium, eum quoque ipsum  
 actione conueniat competente, ut his actionibus damni conse-  
 quatur restitutionem. Neque enim denunciatione et annota-  
 tione publica, quam descripsi, id potes efficere, ut usurpas vel  
 sors etiam, retenta pecunia apud aerarium, illi, qui chirogra-  
 phum XIV viris reddit, quacunque is hoc possideat fide, non  
 soluantur; id enim vetat forma aerarii delendis debitibus consti-  
 туti, vti iam latius supra demonstravi, et propter eam causam  
 centies rogantibus denegatum a XIV viris fuit: sed ea tantum  
 horum, quae adhibentur, mediorum vis est, vt, vel detecto  
 fure, contra hunc aut ipsius heredes conditione furtiuia, vel  
 contra eum, qui recipienda solutionis causa chirographum  
 publicum exhibuit, si mala eius, qua possidet, fides probari pos-  
 fit, heredesve eius actione de dolo aut in factum, vel contra  
 hunc, quem, exhibente in bona fide constituto, denique au-  
 clore vel auctoribus, per quos chirographum ad producentem  
 venit, tibi indicatis et repertis, siue furem aut vi auferentem  
 siue saltim dolii participem inveneris, iisdem actionibus vti  
 possis. Mand. saepe excit. d. a. 1775. Actiones tandem illas  
 omnes non coram XIV viris, sed apud competentem rei iudi-  
 cem esse instituendas, non est, ut moneam.



Si vero, postquam delata sint ad XIV viros indicia, quibus  
 ablata chirographa ab aliis sui generis distinguuntur, nemo ve-  
 niat, qui propter ea aliquid sibi solui efflagitet, actionum qui-  
 dem instituendarum nulla erit occasio. Tantum tamen abest,  
 ut cautio abhibita sine fructu sit, vt, si hoc eueniat, damnum  
 passus maiorem etiam habeat. At hoc ipso tamen pecunia sibi  
 debita non potitur, si quidem XIV viri nemini, qui chirogra-  
 phum publicum, cuius dies venit, producere nequit et redde-  
 re, soluunt, neque nouas usurarum causa cautiones vlli dant,  
 qui limbum cautionibus praeteritorum trium annorum praepo-  
 situm (vid. pag. 7.) non potest restituere. *Auertiss. der Churf.*  
*Sächs. Ob. Steuer Einn. Ost. M. 1763. §. 7. Declarat. der Stände d. 10. Okt. 1763. §. 10.* Neque, hoc fuisse apud XIV viros  
 perpetui iuris ab ipso, illo tempore, quo institutum hoc fuit  
 collegium, negandum est, quippe quod rogatum saepius ab his,  
 qui dominos chirographorum se praedicabant, nec tamen red-  
 dere chirographa fortis usurarumue causa data poterant, solutio-  
 nem, et, dare noua usurarum gratia concepta, his, qui limbum  
 nouissimum non reddebant, dominium licet in chirographum  
 principale petitioni praetenderent, semper abnuit, quod adeo  
 placuit Ipsi Principi Serenissimo, vt, cum Eum unus atque alter,  
 metuens repulsam XIV virorum precibus adiret, vt, iphi solui  
 ex aerario, etiam non redditis chirographis, iuberet, XIV viris  
 in litteris suis, quas ad mandatum Principis de ea re referendi  
 causa ad Ipsum dimittebant, id fieri posse, negantibus, hoc no-  
 vo mandato ratum esse voluerit. In qua re obseruanda adeo sen-  
 tentiae ordinique statuto inhaeserunt, vt ne in piis quidem  
 causis vlli locus datus sit exceptioni. Quae omnia quamvis sint  
 verissima, tamen negari non debet, denunciationem apud XIV vi-  
 ros factam ab eo, qui damnum passus est, magnam ipsi praebere  
 utilitatem, cum in hoc, vt ei non currat praescriptio, tum in illo  
 ipso, vt aliquando consequi, quod abest, possit. Etenim fieri  
 potest

Potest primo, ut putet tantum, ablata ei esse cautionem furto,  
 quae vere ablata non est, veluti cum eam reposuerit custodie  
 maioris causa in locum, in quo eam postea non quaerit, existi-  
 mans, eam alibi esse positam, in quo loco eam inuenire non  
 potest, vel cum per imprudentiam inter alias chartas, diuersi  
 Plane generis et usus, remota sit, in quibus eam querere, do-  
 minus inutile plane opinatur. Noli putare, talia nunquam ac-  
 cidiisse, dominosque in custodiendis reponendisque chirogra-  
 phis satis semper fuisse prouidos. Sane nonnunquam factum est,  
 ut, quae tanquam furto ablata XIV viris domini nunciauerant,  
 deinceps, reperta esse, apud eosdem fuerint confessi. Cuius-  
 modi si contigerint, poterit dominus denuntiatione se tueri a  
 Praescriptione, eoque ipso, obseruatis quae praescripta sunt, de  
 quibus mox dicendi erit occasio, id assequi, ut damnum, si ex-  
 pensas in ipsam causam impendendas excipias, sentiat nullum.  
 Deinde, quamuis cautiones furto vere sint ablatae, multae aliae  
 tamen possunt esse causae, quae propter denunciatio denun-  
 cianti idem, cuius mentionem feci, comparare potest commo-  
 dum. Fac enim, illum, qui sive vi sive clam abstulit publicam  
 cautionem, eam iterum amittere, vel, quia forte emitorem, cui  
 imponat, innenire nequit, aut, ductus, sive metu sive poeni-  
 tentia, corpus delicti in publicum producere veretur, retinere  
 eam, imo prorsus etiam delere, eueniet hoc, ut nemo solui sibi  
 poscat usuras, vel sortem etiam, siquidem eius numerus e machi-  
 na rotando ciectus sit, praeter eum, qui cautionis dominium se  
 dicit, cui tamen, non reddenti chirographa, nihil solui potest.  
 Hinc, qui verus chirographi est dominus, si, annotari, quae ne-  
 cessaria sunt, apud XIV viros, curauerit, interrumpendo praes-  
 criptionem hoc efficiet, ut usurae in eius favorem apud aer-  
 rarium deponantur, eique, postquam rite probauit ius suum, vel,  
 pro indeole huius ordinis iudicarii, demonstrauit, aliquique, qui  
 postulare, sive iure, sive iniuria, pecuniam ab aerario debitam,



limbumue possent, per sententiam exclusi sunt, soluantur, cum, etiam si cautio apud aliquem adhuc possit latere, tamen huius ratione, quippe qui non comparuit, praescriptionis tempus cucurrerit, isque propterea iure, quo forsan vti posset, priuatur, ille autem, qui nomen suum et ius qualemunque apud XIV viros professus est, ab exceptione, quam praescriptio praebaret, sua titus sit interpellatione, dum tamen ea abservauerit, quibus ad conseruanda iura sua opus est, neque ipsi mora aliqua, de qua deinceps acturus sum, in eo negotio expediendo possit obici. Idque cum in primis in eo consistat, vt edictaliter citari curet hos, quorum interesse potest, ab ipsis enim XIV viris etiam annotationem ex tali, quam exposui, causa petentes saepius, vt edictum de ea proponi efficiant, iussi sunt, res haec ad eam appropinquat, qua modus amissae cautionis non satis certus est, de quo nunc quidem latius suum expositurus.

Scilicet plerumque incerti sunt hi, qui cautionem, quam possederant, non amplius inter res suas inueniunt, quo modo perdita sit. Nostro sermone aptissimo vtrum in ea re verbo: es ist weggekommen, vel his: von abhanden kommen, es wird vermisst. Nam et furtum, rapinamue, et propriam culpam vel incuriam, et casum comprehendunt fortuitum. Hi igitur, furtove sit ablata, an alio amissa modo cautio, existatne amplius, an non existat, ignorant. Similis est causa eorum, qui hoc quidem certo sciunt, amissam, strictius sumendo hanc vocem, vt nobis dicatur verlieren, esse cautionem, sed pari modo, vtrum adhuc existat, an non existat, nesciunt. Nam, si forte in itinere sarcina, nesciente domino, de curru aut equo deciderit, vel dominus, cautione e funda vestis, vel pugillari, quod multi fecum ferre solent, libello imprudenter extracta, in quo loco ceciderit in solum, nesciat, non necessario sequitur, illam cautionem casu, vel, si ita placet, quadam etiam culpa, amissam ab aliquo furto inuentionis detineri. Fac infantem eam inuenisse,

nisse, vel iustae quoque aetatis hominem, qui famen pretium eius ignorat, eamque, tanquam inutilem et abiectam chartam, dilacerasse, vel in ignem coniecissem, alioue modo quocunque ita, vt aliam rem nullius pretii, tractasse; fac, nemine in via iacentem vidente, in luto conculcatam; fac in aquam delapsam, vel ventorum vi illuc delatam; fac testam eam aliis rebus et subter has putrescentem, ad quod ipsum longo non opus est tempore: in his et similibus, quae possunt euenire, casu interiit cautio, quam furto quasi, celando nimirum, ablatam, putabit dominus.

Cum igitur in causa amissi publici chirographi, quis possideat, nescias, et aequo, id plane interiisse, atque, ab alio clam retineri, existimare possis, hac sere via, qua tuum conserues patrimonium, quam descripturus sum, incendendum es, ubi tamen simul hoc moneo, ordinem debere iudicii summarium esse. Scilicet, cum certus aliquis homo non sit, qui conueniatur, prouocatorio, vt dicitur, opus est iudicio, eoque, si ea licet vti distinctione, generali, nempe vocatis omnibus, quorum interest, qui omnino incogniti esse debent, propterea quod ab eo, qui notus est, possessore vindicari nequit publica cautio. (v. p. 18.)

Primum igitur omnium hoc suadeo, vt damnum XIV viris id passum indicet, et, vt fiat annotatio, petat, praescriptionis impedienda gratia, quamuis altero fine, detegendi scilicet furis vel socii criminis, qualis forte nemo hominum est, cessante. Obseruatur autem in ea re hoc, vt, dum nondum expleta sint praescriptionis tempora, ipso illo die, quo litterae denunciantes XIV viris offeruntur, continuatio praescriptionis definit. Sed et hoc ipsum vt petat a XIV viris, ne currere amplius finant praescriptionem, si non necessitas, urbanitas tamen poscit. Collegium igitur XIV virale, non solum, si nulla in ea re exoriatur dubitatio, annotationem petitam decernet, sed etiam, vt, qui



questus est, ad iudicem competentem causam, impetrandi editi publici gratia, deferat, iubebit, scilicet, ut supra pag. 18, proposui, ad Illustre Regimen Dresensem, vel, ex delegatione huius supremi iudicij, ad praefectum Dresensem eum remittet. At enim vero, quamvis XIV viri id non preecepint, humanitas enim id magis est, quam ex legum praefcripto, tamen non existimet damnum passus, se omnem rem confecisse, si, ut annotatio fieret, curauit. Nihilo enim secius actio in Illustri Regiminis Collegio edenda est. Quin si moram in ea instituenda committat, vis praescriptionis, quae erat interrupta, potest resuscitari. Accidit, ut aliquis, qui de annotatione damnii XIV viros rogauerat, post tempus aliquod, interea in obtinendo editio incuriosus, iterum preces XIV viris offerret, quo consequeretur, quarum dies venerat, vsuras. Is fuit a XIV viris commonefactus, continuatum iri praescriptionem, nisi intra certum definitumque tempus, ut, in primis quod ad limbum nouissimum, sine cuius editione nouae non dantur usurariae cautions, edictalis citatio publice proponeretur, operam det. Etenim denunciatio et annotatio non perpetuam ratione eius, quod debet aerarium, praebent exceptionem, eam quidem ob causam, quod, si in specie ad usurias respiciamus, quaelibet cautio usuraria tertio quolibet anno extinguitur. Quod, quamvis ex negotii indole dubio plane caret, tamen exemplo illustrabo. Finge, propter aliquam cautionem publicam usurias usque ad annum 1780, per annos autem 1781. et 1782. non esse solutas, anno 1783. possessorem per denunciationem XIV viris factam insecuramque annotationem perturbasse praescriptionis effectum, tamen, si negligens sit in efflagitandis litteris edictalibus, ut ea ne anno quidem 1784. rite postulet, cum usuris ao. 1781. soluendis ao. 1784. usuris soluendis ao. 1782. praescribatur ao. 1785. et sic deinceps, tacite videtur renunciasse iuri, quod habebat ex interpellatione. Similis causa

causa erat alias, chirographa aerarii non permutata possidentis, quarum causa cautiones usurariae non dantur, sed epochae a creditore scribendae sunt. Propter ea chirographa usuriae per multos annos erant solutae, sed per alios insequentes annos, multos etiam, id factum non fuerat. Possessor nunc quidem denuo petebat usurias, ea tamen lege, ut epochas in recentiores, nisi prius antiquiores, intermedio tempore non postulatas, solutae essent, dare nollet. Huic responsum est a XIV viris, ordinem sibi praescriptum turbare, nefas duci, usuriasque, intermedio tempore praescriptione acquisitas aerario, reddi non posse. Hoc enim omnino patet ex his, quae antea sunt proposta pag 12. et 27. praescriptione tolli quodlibet usuriarum debitum, in quo postulando creditor triennium praeterlabi passus est, quamvis eiusdem fortis reliquae usuriae, quas poscere poterat, et antecedentes esse solutae, et sequentes denuo solui possent. Caeterum caue, putes, si inter denunciandum protestatione aut appellatione, quarum illa saepissime, haec nonnunquam XIV viris oblata est, utaris, ne soluatur, cum dies venerit, producenti cautionem debita pecunia, vim his aliquam inesse. Protestatio enim omnino nihil auxilii afferre potest ex rationibus p. 15 expositis, appellationem autem apud XIV viros interponere, qui potestate carent iudiciali, formae ipsi prouocationum aduersatur. Consultius est, petere attestatum a XIV viris de facta denunciatione et notatione, quod non solet denerari, ita, ut a praefecto rationibus aerarii detur et subscribatur.

His praeparatis libellus Summo Regimini offerendus est, quo petat daunum passus, ut lis per edictum inchoanda permittatur, eaque res delegato iudici, qui, ut iam monui, praefectus Dresdenis esse solet, committatur. Addatur, si id rogans nactus sit, attestatum a praef. ration. aer. datum, cuius supra feci mentionem. Sed ius etiam illud exponendum est, ex quo peti possit edictum contra quemcunque possidentem. Nam etiam si



etiam si plerisque agat dominus, nihil tamen obstat videtur, quin querelae de damno facto ei etiam sint permittendae, qui ab illo causam habet ita, ut ipsi damnum reparare debeat. Praeterea ad id respiciendum est, utrum, interisse plane cautionem publicam, affirmari possit, nec ne possit. Et de ea re demonstrationem statim adiici perutile erit.

Illustre deinde Regiminis Collegium, nisi omnis causa reiicienda sit ob iuris petendi defectum, mandare solet praefecto Dresdensi, ut rogationem transmittat ad XIV viros, simusque, an ei aliquid obstat impedimenti, suis interroger litteris. Id igitur fit a praefecto, cui postea, suo exponit responso Collegium XIV virale, quicquid ad rem facit. Aliquando sunt, quae impediunt, quo minus petitioni, saltim hoc tempore, quo petitum est, locus possit dari. Huc referas, si probari nequeat chirographum interisse vel ne id quidem a damnum passo dicatur, et tamen is proutocari per edictum velit possessorem, qui potest iustus etiam forte et legitimus esse. Solent autem XIV viri respondere, libros suos docere, prouocantem indicasse damnum apud eos, et neminem, qui ab hoc vel illo tempore, quod definiunt, usuras postulauerit, (post annum 1795. nonnunquam de forte id quoque scribi poterit,) venisse, numerum etiam chirographi, quem indicavit damnum passus, cum libris conuenire, nec aliquid obesse edictali citationi. Nonnunquam tamen, in primis quod ad limbos pertinet, error, qui in numerum diei, quo datus est, irrexit, corrigendus fuit. Qua response accepta, praefectus de ea re ad Illustre Regimen refert, et si omnia ita sint comparata, ut edicto locus dari possit, Hoc ad praefectum referbit, ut vocationem edictalem conficiat locisque congruis affigi faciat; simul etiam, ut curet, de ea re significaciones in publicis ephemeridibus fieri. Sed id quoque praecipitur, ut prius, quam hoc fiat, demonstratio iuris agendi antecedat, cum antea de ea non constet.

Iam

Iam apud praefectum demonstratio peragenda est, quae facili nego-  
tio sit tum, cum de solis cautionibus usurariis limbisque iis superpositis  
sit quaestio. Qui enim chirographum ob sortem datum idque authenti-  
cum in iudicio producit, is id ex praesumptione iure possidet, et iure suo  
usuras postulare, earumque causa poscere cautiones usurarias potest. Cum  
porro per attestata, et XIV viorum responsiones, de quibus supra, pro-  
batur, neminem per tempora proxime praeterita fuisse, qui praeter  
agentem usuroras sibi solvi voluerit, praesumto oritur, cautiones usurarias  
anmissas interisse, neminemque alium, quam agentem, in eas ius ha-  
buisse. Tandem, si accedit praescriptionis tempus, sequitur, vt, etiam  
si quis alias ius aliquod sibi vindicare potuisset, id tamen sublatum sit.  
Et, quod attinet ad usuraras, optime, vt reor, rem ita expediri, manife-  
stum est, vt quoque, qui eas solas poscit, ei suadendum sit, vt tempus,  
quo praescriptione, intuitu scilicet reliquorum hominum, expleta sit, praec-  
suletur, cum, si aliter facere vellet, multis saepe opus foret ambigibus.  
Si tamen in his, quae exposui, aliqua adhuc reperta fuerit dubitatio, di-  
sputari Illustrre Regimen iussit de ea re inter actorem postulantem et su-  
prenum aerarii publici procuratorem. (Ober-Steuerprocurator.)  
Quodsi de limbo quaestio sit, hoc observari solet, vt eius vis (ratione  
omnium, qui non comparuerant apud XIV viros) eodem tempore, quo  
obligatio ex postrema earum cautionum usuriarum, quibus erat super-  
positus, praescriptione tollitur, habeatur extincta. Verum enim vero,  
vbi agitur de cautione principali, qua promittitur ipsius fortis solutio,  
multo major hoc tempore, quo adhuc nulla praescriptioni est obnoxia,  
in demonstrando adhibenda est solertia.

Nimirum omnis in hac causa decisio ex cautionis publicae interitu,  
(vel, si verbo vt liceat, annihilatione, Vernichtung) siue vero, siue praesumto,  
petenda est per Restript. Elec. d. 25. Aug. 1777. Nam, si adhuc existat,  
potest possessio eam optimo possidere iure, quem, vt iura sua defendat et  
provocatus agat, cogere, legum vetat ratio. Quamobrem, si interitus  
nullo probati posit modo, expectari ex rescripti laudati praecepto iube-  
tur temporum praescriptioni destinatorum finem, antequam ad citatio-  
nem edictalem pervenire possumus. Et in hac quidem specie initium  
praescriptionis, scilicet ratione cuiuscunque, excepto actore, ponitur in  
eum diem, quo usurarum percipiendarum causa nomen suum is, qui ci-  
tationem edictalem petit, professus est apud XIV viros, dum postea nemo  
alius



alius eosdem ex eadem causa compellaverit. Hoc enim si eveniat, ut alius quoque postulet vñuras, isque reddere chirographum publicum posset, cum eo, ut iam monui, agendum est. Neque alia dicenda essent, si duo, quorum neuter oblatione chirographi, cuius dies venerat, rogationem fulcire posset, vñuras postularent. Tunc quoque alteri contra alterum agendum esset. Olim quidem hi, qui de amissa cautione publica querebantur, hoc nonnunquam a XIV viris reportarunt responsū, ut iurevando de danno perpresso apud magistratum suum ordinarium praestando, viam sibi ad citationem edictalem prepararent, in qua specie etiam, cum singularem modum damnum passus non indicaret, quo cautionem amiserit, iusurandum editionis, prout definitum est in Rec. Ord. Proc. Sax. Eleç. iijt. XXVI. §. 3. praescribebatur. Verum, post quam per Rescr. d. a. 1777. haec res determinata est regulis, non potest ad id vel simile admitti iusurandum, qui ne praesumptione quidem aliqua, eaque graviori, interitus cautionem, probatum dedit. Igitur hodie, si interitus cautionis demonstrari posset, videndum est, qualis sit probatio illa, ad quam agens provocat. Plena scilicet vtrum sit, an semiplena, hoc, uti fere in aliis causis, interest, ut illa peracta, statim ad edictalem citationem iudex posset progredi, hac, non, nisi praevio suppletorio. Rescr. cit. d. a. 1777. Plenae probationis praecipua est haec, si interitus non sit, ut dicimus, totalis, ita, ut vel tota cautio minutatim, vel quedam eius particulae possint exhiberi. Si quis nollet ad interitum hoc referre, is consideret, cautionem dissectam vel dilaceratam, etiam si XV viri illam agnoscant, eandem tamen utilitatem, quam integra, praestare non posse, si possessio eam in alium dominii causa velit transferre, ut, quod ad commercium, omnino deleta videatur. Dissectas autem per imprudentiam vel dilaceratas fuisse cautiones, aliquoties exempla extiterunt. Aliquando tamen exhibito particularum plene interitum non demonstrabit, quod ex earum conditione et aliis, quae circumstant, rebus erit diuidandum. Sunt vero aliae quoque probationes, quae plenis annumerare nullus dubito. Veluti si duo testes classici viderint igne cautionem consumi, et quae sunt reliqua. Mediorum probandi reliquorum, quibus aliquando damnum passi usi sunt, nonnulla spuria sunt et inutilia. Veluti voluit aliquando mandatarius, qui amiserat chirographum, omne ius mandantis scripto testimonio probare, quod merito reiectum fuit. Ita quoque possessio cautionum vñurariorum cum suo limbo, non probat dominium

minium chirographi principalis, neque etiam contra huius possessio ius in usurarias cautiones. Taceo alia, quae nonnunquam in his causis lecta sunt. Si tamen ita sint comparata, ut vero fiat simile, chirographum interioris, et ea eorum sit vis, ut pro semiplene probato hoc haberi queat, quod arbitrio iudicis est relinquendum, qui ponderet momenta, quibus agens usus est ad causam defendendam, suppletorio locus dabitur. Verum in eo decernendo duo adhuc ex refer. d. a. 1777. sunt, ad quae erit respiciendum. Primum est, vt cautio sine factō petenis culpoſo amissa sit, de quo ipso quoque a iudice erit arbitrandum. Alterum, vt, si de eo oriatur dubitatio, num ad suppletorium admitti agens possit, ea quaslibet dictinenda prius sit ab Ictorum collegio, ad quod causa imittenda est, antecedente inter postulante edictum et supremum aerarii procuratorem de ea re disputatione. Singulas causas hic enumerare, nimis foret longum. Hoc vero addendum est, iuriandum, si quod in ea causa desideretur, non necessario praestari in praefectura Dresdeni, sed pleniusque in foro domicili agentis fuisse praeslitum.

Praeter eas probationes hoc adhuc necessarium est, vt in demonstracione iuris agendi, quam legitimacionem nominamus, defecitus sit nullus. Nonnunquam legitimacione ad causam opus est, rarius tamen. Alias ea, quam ad processum dicimus; qua curatoria, tutoria, et eiusmodi alia, mandata (Bestallungen) item, si quis officii causa agat, et quae sunt eiusmodi alia, vel saltim iudicis testimonia, haec probatura, producuntur.

Hoc igitur stabilito, edictum proponi posse, iudex, ut id fiat, curabit. Continet autem edictalis citatio praeter communia citationum sere haec; nominationem cautionis amissae, vtrum sit principalis, eaque vel permutata vel non permutata, an usuraria, an denique limbus; descriptionem signorum, quibus dignoscitur, literam, numerumque inscriptum, item, si usuraria sit, tempus solutionis, si limbus, diem, quo erat datus; vocationem omnium, qui, sibi ius in eam competere qualecumque, putent; diem, quo comparere juris deducendi causa in iudicio debeant; praecidicium, vii sigillatum constitutum in Refer. d. a. 1777. quod est quidem sub poena praeculsi, cui tamen addi soler, et sub poena arvittandi beneficii restitutio in integrum, idque cum iam confuerundis fuerit olim, nunc etiam secundum Mand. die Edict. Citat. in Civil-Sachen d. 13. Nov. 1779. §. III. ex iure sit scripto; diem denique sententiae praecudenti destinatum. Quod ad modum atinet, quo publicatur,



affigi eam iudex curat tum in Saxonia diversis locis, cum extra' eam, et nunc quoad hanc rem observari solet id, quod in d. loco Mand. d. a. 1779. ratione hereditatis iacentis, heredibus iudici incognitis, praescriptum est. Sed solet etiam expressis mandare verbis *Illustre Regimen*, ut curet praefectus Dresd. inseri significationem citationis ephemericibus, quas novellas *Zeitungen* vocare solemus, cum Lipsiensibus tum aliquibus exterorum, veluti sunt Berolinenses, Hamburgenses etc. quarum electio tamen a praefecto pendet. Praeterea iubere hoc quoque solet, ut faciat rem praefectus notam per ephemericas alias generis, admonitionibus et oblationibus publicis destinatas, *Intelligenzblätter*, Lipsiensibus scilicet et Dresdensibus.

In termino igitur per edictum constituto ab eo, qui id impetravit, eiusue mandatario provocandi sunt omnes, qui, ius in amissam cautionem sibi esse, contendere velint. Quid igitur, si quis, qui tale quid assimet, compareat? quamvis, id unquam factum esse, compertum non habeam. Id si euenerit, cum eo separatim erit dimicandum. Caeterum siue hoc factum sit, siue nemo comparuerit, qui aduersarium se sisit, contumacia iusto tempore accusanda est eorum, quorum interesse poterat, siue omnium, siue, specie illa posita, caeterorum. Simil autem is, cuius causa edictum propositum est, meminerit, ut non solum, excludendos esse per sententiam contumacias, sed id etiam simul petat, ut sibi ius in amissam cautionem per eandem addicatur.

Quae omnia si rite confecta fuerint, ediclique exemplis variis istis locis publice pendentibus ad acta relatis cum significatione dierum, quibus et affixa et refixa sunt, sequitur sententia condemnatoria. Nimirum, quicunque citatus erat, praeculditur, atque amittit beneficium restitutio nis in integrum, jusque omne ex amissa cautione publica per sententiam adjudicatur provocanti.

Si forte aliquis, qui ius sibi afferat, comparuerit, non statim posse ius omne perent adiudicari, sed tantum eos, qui praeter illum contradicentem ius sibi aliquod vindicare potuerint, excludendos esse, negotiū docet natura. Nonnunquam sententia pura non fertur, sed conditio nata, quo referas, si quid in legitimatione supplendum sit, si quid in supplementum sit iurandum, veluti de combustis cautionibus, cum ne is quidem, cuius aedes flamma consumptae sunt, semper certo scire possit, vtrum cautio, quae in domo custodiebatur, simul igne perierit, quae inter incendium

dium furto auferri poterat, si in forma litis aliquid deficiat, quod litem nullam non reddit, et corrigi aut suppleri potest, qualis est defectus unius vel alterius exempli citationis alibi publice propositi. Sed ne id quidem necessarium est, ut sententia paecludens simul sit adiudicans. Ea enim separari et diuidi possunt. Potest, ut plerumque fieri solet in concurso creditorum, eo die, qui ad sententiam excludentem destinatus in edicto fuit, solum hoc paecludens recitari decretum, reiecta adiudicatione iuris in aliud insequens tempus, in qua specie, ut illud decretum ipse iudex elaboret, cum actionum transmissio moram aliquando casu asserre possit, suadendum est.

Sequitur, vt, cum ea sententia, quae ius suum impetranti edicium tribuit, vires nulla sit rei iudicatae, praesitis etiam, si forte conditiones ei adiectae fuerint, his, quae desiderabantur, veluti additis, quae in legitimatione desiciebant, iurejurando dicto etc. ad executionem deve-  
niamus. Itaque rem omnem index delegatus ad Regimen Illustre referit.  
Deinde defertur causa ad Illustrissimum Senatum Sanctiorem, quem  
Serenissimi Principis Consilium Intimum plerumque appellare solent,  
atque Hoc Collegium Sanctius permittere solet rescripto ad XIV viros,  
ut statuum provincialium, quorum nomine aerarium ab his administra-  
tur, delegatos, dari victori Attestatum, quod vice amissarum cautionum  
propter fortē datarum sit, item, si causa sit permutatarum cautionum,  
novas propter usuras cautiones carumque limbos, recepto tamen e con-  
trario ab impetrante instrumento liberante et extinguente. (Mortifica-  
tions. Schein v. p. 17.) Caeterum, ea omnia, si nemo aliis comparue-  
rit, huius fieri impensis, ex indele totius negotii, cum, si ipse in culpa  
sit, merito damnum exinde veniens ferat, si casu sit factum, id tanquam  
dominus sentiat, manifestum est.

Igitur, in cuius favorem hoc Senatus Sanctioris atque Intimi decreatum datum est, nunc rogabit XIV viros, ut Attestatum, cautiones usurarias limbumque dari sibi ab eo, qui rationibus praefestis iubent. Antequam tamen dati possint, ex sua parte omnia fiant necesse est, quae ad securitatem aerarii conducunt. Quamobrem exhibeat aitque apud XIV viros reperiundis inseri curet primum ea, quibus legitimatio ad causam pariter, atque quoad personam, cum alterutra, vel utraque etiam opus sit, probetur, deinde copiam, et talem quidem, quae satis probet,



sententias, qua ipsi ius in amissas cautiones attribuitur, porro, si conditionata sit haec sententia, copiam in forma probante eius scripti iudicialis sive registraturae, ex qua patet, his satisfactum esse, particulas, si res ita ferat, cautionis scilicet aut laceratae, quae superflunt, denique instrumentum extingens. Si aliquid horum deficiat, quia aerarii securitati proficiendum est, ut id adhuc referatur ad acta, iuberi solet.

Quod in primis attinet ad id instrumentum extingens, quod Mortifications-Schein appellabatur, postea ob ea, quae continere debet, Mortifications- und Schadloshaltungs-Schein vocari coepit, forma non est in impetrantis posita arbitrio. Formula potius, sibi semper similis, et ex consilio bene probato per scripta, a praefecto rationibus roganti solet praescribi. Est autem fere haec. Narratur historia primum causae, chirographa, quae cum magna industria et ita describenda sunt, ut hoc instrumentum, nisi id sibi reddi velit impetrans, ex omni parte edictibus et sententiae respondeat, hoc vel illo modo amissa esse, et post propositum edictum per reni iudicatain exclusos et indignos restitutione in integrum dictos esse omnes, qui sibi ius in ea arrogare putaverint, deinde confessio sequitur, XIV viros, ipsi impetranti subscripto pro his amissis documentis Attestatum, novas cautiones usurarias limbumve, quae omnia simul accurate describuntur, dari, iussisse, (haec aliquando alter, cum, si de solis usuris agatur, attestato opus non sit,) porro apoccha additur de acceptis his novis instrumentis, coniuncta cum renunciatione exceptionis, ac si non essent data, (Ausflucht des Nichtempfangs) tum declaratur, illa, quae amissa erant, delera esse atque extincta, (mortificirt und gänzlich erloschen,) tandem promissio adiicitur, qua se obligat impetrans, se, si harum exhibitarum cautionum gratia lis a quopiam intendatur, ut ex iis aliquid postuletur, in quocunque iudicio, totoque patrimonio, et quicquid eius ad eam rem eligi possit, defensurum aerarium Saxonie Electoralis recipiendis tributis destinatum, (Steuer-Aerarium) aerarium delendis debitum Lipsiae constitutum, omnem Saxoniae Electoralis civitatem, sive status provinciales, gesamte Landschaft et delegatos XIV viros, idque ad solam extra iudicium factam denunciationem, ut opus litis denunciatione solenni non sit, praestitutorum item hos omnes indemnes fortis, usurarum et expensarum gratia, causamque inse suscepturn iudicalem, quae inde oriatur, suis sumtibus suoque periculo, ita, ut pro aerario vtroque nihil in ea causa peragi debeat, renunciando

ciando simul non solum omnibus exceptionibus, quae obici possent  
 pacto, quaecunque illae sint, sed etiam beneficiis leuterationis et appellatio-  
 nis. Subscribendum hoc instrumentum est ab eo, vel, si plures sint,  
 ab his, qui nunc, sunt enim aliquando eius, qui edictum impetraverat,  
 heredes, crediti solutionem ab aerario poscere possunt; et quidem cum  
 curatoribus, si sint foeminae, atque addenda sunt, ubi opus, veluti ra-  
 tione tutoris, curatoris, syndici, administratoris etc. documenta legiti-  
 timi subscribendi ins commonstrantia, quae liquida et ita comparata  
 sunt, ut ea, quae desiderari possunt, omnino probent. Non tamen sola  
 illa subscriptio securitatem plenam aerario conciliat. Quamobrem id  
 adhuc est necessarium, ut subscriptionem omnes illi, quorum nomina  
 in instrumento extingueente subiiciebantur, in iudicio recognoscant, et de  
 ea recognitione vere facta XIV viri per authenticam iudicis scripturam  
 reddantur certiores. Huius instrumenti ea vis est, ut, licet cautio, quae  
 perlubebatur amissa, adhuc existat, et praesumtus tantum interitus fun-  
 damento sententiae fuerit, tamen ea iurta sit et nullius pretii. Quam-  
 obrem, si solutionis causa haec inefficax facta offeratur XIV viris, merito  
 ea scinditur, (wird cassirt) scilique acsis cum narratione historiae inseri-  
 tur, et ne ei quidem, qui bona fide possederat, redditio, nisi ex bene-  
 volentia. (v. pag. 17.) Sed et hoc factum est, ut iusti cum antiquae  
 tum simul novae cautionis possessores, ubi antiquam, habitam pro amis-  
 sa, apud se deinceps repererint, eam in hunc finem, ut scindatur, col-  
 legio XIV virali, ne quis eo documento invalido ad fraudandum abutatur,  
 ultro reddiderint.

His itaque instrumentis XIV viris oblatis, datur, si agitur de forte,  
 roganti Attestatum calamo exscriptum, siquidem novae dari cautiones  
 de forte solvenda dari nequeunt ob varias causas. Huius attestati in su-  
 periore parte, ex formula recepta scribuntur littera et numerus, quae  
 perditeae cautioni erant inscripta, deinde ponitur quantitas crediti, porro  
 enarratur, sub eadem littera eodemque numero, quae sunt superius scri-  
 pta, anno 1764 eius pecuniae causa datam esse cautionem permutatam,  
 (vel aliter, si non permutata fuerit cautio,) quae pertinuerit ad eum, qui  
 emisit, et hoc vel illo modo perierit, sed edictum, de ea re propositum,  
 infuscatam esse rem iudicatam praecludentem, tandem promittitur non  
 solum fortem debitam, cum dies venerit, ei, qui attestatam hoc sit redi-  
 diturus, sed etiam, usque dum fors delenda sit, usuras, trium per annum

pro



pro centum thaleris, ex aerario solutum iri. Idque attestatum a XIV viris his, qui eo tempore, quo datur, Lipsiae praefentes sunt, subscriptur. Fungi autem tale attestatum perfecte vice cautionis, pro qua datur, ex his, quae continent, satis apparet, quamobrem eodem modo, quo cautio amissa, in commercio est. Quod tandem ad cautiones pro usuris recipiendas attinet, dantur tales, cum limbo ad eas pertinente, a XIV viris, quales, typis expressae, tertio quoque anno cuiilibet dari solent creditor, eaque prorsus aquales his, quae amissae erant, dum nomina subscriptum excipias.

Ita res finita est. Poteram haec exemplis, exceptionibus additis, illustrare. Sed iam aliud me vocat negotium, cum

*Vir*

*Nobilissimus et Doctissimus*

**CHRISTIANVS ERDMANNVS ZANGEN**

*Dresdenis,*

*Iur. utr. Candidatus, causarum Patronus, et Notarius*

*publ. Caesar. immat.*

commendandus sit a studiis pariter atque vita, quam enarrantem Ipsum audiamus :

*Ego, CHRISTIANVS ERDMANNVS ZANGEN, natus sum Dresdae anno 1768. d. XIV. mens. Febr. Parens mihi fuit Dr. TRAVGOTT WILHELM ZANGEN, qui omne vitae tempus causis aliorum in foro perorans, atque consilii dandis exhausti. Quem quidem benignum patrem Deus O. M. mihi dederat, eundem matrum mihi abriperi placuit, ita, ut, ex fere tredecim annis defuncti non, nisi memoriam pia mente colere, mihi liceat. Nec non matre utor, CHRISTIANA GERTRAVDA AVGVSTA, ex gente SCHROETERVM oriunda, quae, in primis adfidente Illustri ac Iureconsultissimo, Dr. IMMANUEL GOTTLIEB FREYBERG, (qui rebus suis Eleitoralis, consilii dandis, praest, et quem pro parente mihi habendum esse puto) omnem operari contulit, ut educatio mea, a patre beato iam iam incepta, probe perficeretur. Literis igitur, quibus puerilis actas imbuvi solet, domi instruibus sui a varis, quorum principiū mihi appellandi esse*

esse videntur, RICHTERVS, M VILLERVVS, RVNGIVS et GRÄVNIUS,  
 quibus me multum debere, ipse profiteor. Ao. CICICCLXXXIII, a cognato  
 b. FISCHERO, qui tunc fases Academiae Vitebergensis tenebat, nomen  
 meum in album Academicum inscriptum fuit. Sed, cum mihi a. 1785 Viteber-  
 gam migrare liceret, sub regimine Ill. wIESANDII me Academicis legibus  
 obedientem fore, promisi, et, quoniam a philosophia initium scientiarum  
 faciendum mihi erat, artem logicam, doctirinam de moribus, ius naturae,  
 ceterasque philosophiae partes, Summe Venerabilis REINHARDVS et b.  
 HILLERVVS me docuit. Historiam vero, cum universalē, tum imperii  
 Romano Germanici, tum Saxoniam, tum denique literariam Excell.  
 SCHROECKHIVS mihi tradidit, nec non scholis Exc. TITII, Physicam  
 explicantis, saepe interfui. His aliasque hue pertinentibus scientiis instru-  
 tis, loca, in quibus omnes Iurisscientiae partes edocentur, adii, et Illu-  
 strium Virorum, WIESANDII, PAVLI, ÜGELII, HOMMELII  
 ac WERNSDORFFII, qui singuli Institutiones, Pandectas, Ius Germa-  
 nicum, Saxonum, Feudale, Criminale, ac iuris totius historiam expone-  
 bant, suavissima disciplina usus sum. In primis vero per tres fere annos  
 eximia cum voluntate scholis disputatoriis iuridicis Viri Magnifici, KLÜ-  
 GELII, nec non practicis relatorii WERNSDORFFII interfui. Cum prae-  
 terea aliorum doctorum virorum eruditione viterer, Ampliss. WILISCH  
 ius Canonicum me docuit; SCHLOCKWERDERI vero sub auspiciis, ar-  
 tem et modum, quo me in foris tanquam patronum causarum gererem, didici.  
 Quo saeclo d. 25. Septbr. 1788 me examini pro Praxi Iuridica et Candidatura  
 Iuris Vitebergae subieci, paulo vero post, examen, quod Rigorosum dicitur,  
 subii. Eodem quoque tempore illa speciminā, quae ex lege iis, qui in foris  
 Saxonis versari volunt, facienda sunt, ex Actis mihi propostis conscrips.  
 Antequam vero mihi a SERENISSIMO PRINCIPTE, causas in  
 foro perorandi, potestas concessa fuit; per unum et dimidium annum, dueliū  
 Ill. GVINTZII, qui nunc summo Collegio Provocationum adfdet, et,  
 quem cognatum appellare mihi licet, me eum feci, qui doctior esse atque  
 optior, ad futurum munus Advocati, quod mihi ante tres annos collatum  
 fuit, rite administrandum. Neque minus mihi adituni ad iamiam lauda-  
 tum FREYBERGIVM patuisse, atque copiam cum aliis doctissimis Iurecon-  
 sultis conversandi fuisse, insigni, mihi felicitati atque honori duco. Deni-  
 que, cum mihi in animo sit, summam in utroque Iure dignitatem capessendi  
 defensurus sum Dissertationem inaugurealem a me conscriptam, quae causas

g

ſſit,



ſiſit, quibus homines proprii contra Dominos, ultro in Eleitoratu Saxo-niae perpetuum domicilium conſtituentes, tum agendo, tum excipiendo, ad libertatem provocare prohibentur. Quod ut feliciter perſiciam, Deum benevolum obſecro, reliquam vitae meae ſortem ei commendans.

Egregiam animi indolem, et diligentiam in ediscenda iuriſcientia adhibitam hic Vir Ornatiſſimus ita abhinc quinque annos in conſuetis examinib⁹ ita comprobavit, vt Collegium Ictorum eum inter digniſſimos summis in vtroque iure honoribus referret. Quos ut conſequatur, ex antiqua conſuetudine libellum, cuius ipſe auctor eſt, ſolenniter deſendet. Dies diſputationis diſtus eſt X. Octobris, quem ut ſua praefentia ho-norifica RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI COM-POTES, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, OMNES CVIVSCVNQUE SA-PIENTIAE DOCTORES, GENEROVISSIMI item AC NOBILIſſIMI COMMI-LITONES concelebrare velint, tum Ordinis mei, tum meo nomine peroffi-ciofe et ſtudioviſſime rogo. P. P. Domin. XIX. poſt feſtum S. S. Tri-nitatis A. O. R. M D C C L XXXXIII.

### VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-661940-p0029-1

DFG



Wittenberg, Diss., 1792/93

vol 18





B.I.G.



## Farbkarte #13

IVRIDICI  
TTENBERGENSI  
T.  
ANVS  
S CHRISTIANVS  
G E L  
OR ET IN SENATV CIVITATIS  
NSIS SYNDICVS  
B. S.

est  
*ffarum cautionum publicarum  
earumque anonymarum  
io II.*